

ALIOS
DISCORDIS BELLI
LAUDES SUSCITARE
JUVET!

Alii

IN GRÆCARUM LITERARUM

Aut

ALMÆ POESEOS

Dotibus ebuccinandis operam ludant!

Meliora dabit.

Atq;

LÆTIFERAM

NATI JESU CHRISTI,

Ἐνστέγνωσιν

DN. M. CHRISTIANO

GRUNEBERGIO,

Lycæi Francofurtani Rectore & Modera-
tore sane Fidelissimo,

Applaudente,

PUBLICA ORATIONE

Prosequetur

JOHANNES GEORGIUS MEISNERUS,
V Vitteberga Saxo. ✓

In acroaterio perigæo majori

D. XV. Jan. An. M. DC. LXXVI.

Hora X. matut.



FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI,

M. DC. LXXVI.

ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO
DOMINO
OTTONI HEINRICO
LIBERO BARONI
DE FRIESEN,
Toparchæ Hæreditario in Rhôte/
&c. &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

Ἡς Φλορητορησίας suæ primitias, cum perpetuè
obsequii voto, humili mente manuq; offert

JOH. GEORGIUS MEISNERUS,
V Viteb. Saxo.



Nquo rerum articulo fortuna nos deprehenderit, VIRI COELESTIUM MYSTERIORUM PROMI CONDI VENERANDI, DIVÆ THEMIDOS ET ASTRÆ PHOSPHORI ADMIRANDI, IATRICES HELICE ET PHILOSOPHORUM ANAMΦΙΣΒΗΤΟΣ PRIMI; AMBROSII, TREBONIANI, PODALIRII & ARISTIPPI REDIVIVI TER CELEBERRIMI; TUQVE CÆTERORUM AUDITORUM CORONA NOBILISSIMA, HUMANISSIMA, CLARISSIMA.

In quo inquam, rerum articulo fortuna nos deprehenderit, cernitis: Germaniæ, communis patriæ, regionibus passim igne ferroque exhaustis, urbium munitissimis vel captis & direptis, vel incendio deletis soloque æquatis, vel operibus clausis obsessisque; hominibus vero sub jugum missis, aut indigno modo ferro fameq; peremptis, ut vix oppidum, vix agrum reperire liceat, cujus incolæ non calamitatem suam die nocteque questibus iterent, cum privatis casibus querelam publicam miscentes, tristitia gaudium & metu spem vincente. Adeo nunc totis turbatur agris! Tantamq; malorum iliada, chiliada, imo myriada quin crimina, non uno piaculo egentia, excitarint nostra, dubium esse nequit. Conserunt alias Dii immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci volunt, his secundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere: at patriam nostram ex illa clade, quam patrum nostrorum memoria accepit gravissimam, vix respirantem, imo anhelantem adhuc, velut conspiratione quadam facta, tot bella, uno tempore è diversis locis congruentia, velut tempestas inundant. Auget flebiles hoc casus improba & glacialis hyems, omnia depascens & incaptarum urbium direptorumq; agrorum sparsos passim exules bello non mitius sæviens fugamque vel tardans vel plane intercipientis. **Quamquam alias hyems horrida satis**

est & molesta, etiam cum pace fruimur & otio, neq; solitum melos oscine in sylvis meditante, & penetrabili Boreæ frigore omnem arborū, florum, agri, sylvarumq; leporem & decorem depopulante, sternente. Verum enim vero, quanta quantæ sint hæ bellorum tempestatisq; injuriæ; Urgeat licet hinc ferrum, terreat inde flamma, rigeat gelu tellus, & stent maria glacie concreta: non est tamen, ut omnem propterea ex animis nostris exspuamus lætitiā, non terrestris tantum & profanæ pacis recuperandæ spe facta, verum & spirituali gaudio miserias illas interpellante, dum

Jam nova progenies cælo demittitur alto

Atque

Fit caro non ullis VERBUM enarrabile verbis

Migrat in humanum corpus & ipse DEUS.

Cui divino beneficio celebrando quamvis nec Tullianum flumen, nec Demostheneum acumen par sit, ipsos superarum sedium incolas admiratione sui adimplenti: conabor tamen de eo impræsentiarum verba facere; Non quod meam eloquentiam (debebam dicere infantiam) fastigium ipsius ullo pacto æquare posse inani spe infler, sed, ne expectationem vestram inopinato silentio frustrem. Date mihi, quæso, dimidii saltim clesammii operam, meumq; dicendi studium silentio & attentione vestra comprobate. Hominem nasci, quotidianum; Angelum, insolens; DEUM, dictu videtur incredibile. Natum tamen esse ex humano germine DEUM, & ex divino flamine hominem, geminæ substantiæ gigantem *θεάνθρωπον*; Sacrarum Pandectarum paginæ docent, fœdi apostatarum spirituum greges dolent, angelisq; beatis gratulantibus pii credentium cœtus fide amplectuntur stabili: ringentibus licet Judæis & ridentibus ethnicis. Tum vero demum, AUDITORES HUMANISSIMI, orationem hanc voto respondere vestro, persuasum habeo, cum & parentes Salvatoris nostri indicavero, & patriam illius monstravero, & nascendi tempus causasq; delibavero, nec fructum tamen sicco, quod dicitur, pede plane præteriens, qui nos inde manet nullo auro aut pretio contrahendum, omniq; elogio major. Quos parentes Salvator noster nactus sit, si quæritis, sciatis licet, eum hinc matre carere, inde autem patre orbum esse: Nec terreno saltim
ortu

ortu gaudentem, nec cœlo penitus satum prognatumque,
Sed quid frontem contrahitis & linis me intuemini hir-
quis, quasi verba dare, non facere, & commento pro com-
perto uti in animo sit? Nihil quidem magis ab usu meo ab-
horret, quam simulata loqui: jam vero maxime religioni
duco mihiq; turpitudini datum iri arbitror, si quicquam
invita veritate effutire sustineam. Annon, *Auditores Hu-*
manissimi, cum generis humani felicitati & spei invidens ca-
codæmon prætenderet insidias & dolos neceret, illud om-
nium virtutum cultu spoliatum æternis illaquearat ca-
lamitatibus? Adamo uxori suæ morem gerente, quæ dicto
diaboli audiens, à vetito sibi non temperabat fructu, viro-
que gustandum afferebat? Quo facto omnia in pejus versa
sunt, fidemq; superat, quanta superarum inferarumq; rerum
facta sit mutatio. Ante id temporis enim homini non
solum in cæteras creaturas fasces traditi erant, verum & an-
geli ipsum in deliciis habebant, DEO eundem incredibili
& plusquam paterno amore prosequente. Tunc certè

- - - *Omnis dabit omnia tellus:*

Non rastros optabat humus, non vinea falcem,

Non tunc gaudebat mentiri lana colores:

Ipsæ sed in pratis aries jam sævæ rubenti

Murice, iam croceo mutabat vellera luto.

Sponte sua sandyx pascentes vestit agnas.

Sed protoplastis nostris, creatoris sui præcepto susq; deq;
habito (inobedienciæ dicam an fastus) crimine se polluen-
tibus, minus erat, Adamum & Evam paradiso exclusos in
exilio consenescere, nisi & telluri diras atque inferias di-
cens perpetuæ sterilitatis eam damnaret stomachabundus
DEUS. Ut jam

Pro molli viola pro purpureo narcisso

Carduus & spinis surgat paliurus acutis:

Quid? quod corpora nostra tot lethiferis & tabificis squa-
lent & pallent morbis, animam vero tam fœda, præfanda &
sputatilica profanant vitia, justitia, castitate, pietate, cæte-
rarumq; virtutum exercitu æterno mulctato exilio? quo-
niam cordis nostri figmentum pravum est ab adolescentia
omni tempore: ipso cordis humani architecto teste. Non
mirum igitur, quod tanto DEUS, non in Adamum solum

&

& Evam, verum & in posteros eorum exarserit odio, ut infernali rogo & nunquam desituris suppliciis in eos crudelissime animadvertere statuerit. Quotus non hæc meminisse horrescat?

Stat coma, mens horret tremula, & vox faucibus hæret.

Adeo non semper pro magno peccato paululum supplicii satis est patri! Tanti est leges divinas temerare, & suæ potius libidini inservire, quam præceptis DEI morem gerere! Si non hæc mutata foret misera mortalium conditio, præstaret, nunquam nasci, quam nasci, & in tam diros ac truces, justos tamen & meritos, casus servari. Justus enim est DEUS & justa judicia ejus. Captus vero tandem est nostri misericordia DEUS &, inito de salute nostra recuperanda consilio, placuit *Æterno verbo h. e. Unigenito Filio Dei* & hominis fieri filium, humanam carnem, sed peccati omnis vacuam & nesciam, induere, in ea totius humani generis vice luere nosque DEO reconciliare. Neq; id tamen latere miseros mortales DEUS voluit, sed multis seculis ante, per sacros vates & mentis suæ interpretes idem pollicens prædixit, nec locum, nec tempus reticentes, quando & ubi novum hoc cum humana natura foedus percussurus eandemq; sibi accommodaturus in hos usus esset. Adventante igitur Anni Orbis conditi 4047. vigesimo quinto Decembris in lucem hanc editus est, ex Maria illibatæ & perpetuæ castitatis virgine, *Æternus Dei Filius*. Tot piorum votis expetitus desideratusq;, unicus humani generis redemptor, ter quaterq; gloriosus, idemq; DEUS benedictus in secula. In cælis igitur ipsi mater deest, in terris pater; Matre gaudens homine, nempe virgine Maria, è regia Davidis stirpe oriunda, patre ipso universi hujus opifice DEO. Eant nunc alii, & longas nectant avorum ac proavorum suorum genealogicas series; non Scipionibus tantum, sed vel Cæsare senatos jactent: Noster SALVATOR & antiquitate, & nobilitate generis, tantum inter illos eminet, quantum Sol inter sidera minora; si modo fas est illos aut ullos in ejus comparisonem admitti. Quis enim animal cum Spiritu, hominem cum DEO, creaturam cum Cratore, punctum inquam cum infinita peripheria comparari æquo ferret animo? Tantus ergo princeps, Rex puta regnantium & Domi-
nus

nus dominantium, si majestate sua digno nasci desiderasset loco, ubi nisi in cœlis, inq; Ter Sancti patris sui gremio, fovendus, gestandus fuisset? Vel, quia terram cunis suis dignari non abnuvit, annon Regum & optimatum aulis & è solido auro gemmisque undiquaque distinctis cunis excipi eum fuisset æquum? Sed, ut palam fieret, terrena ipsi fordere, ipsumq; corde tantum puro, casto, grato, pio delectari, Nativitati suæ locum destinavit Bethlehem, quod sesquimilliarum Germanico haud longius abfuisse ab Hierosolymis, constans est Geographorum & Hieronymi assertio: oppidum nec magnitudine, nec rerum gestarum gloria admodum celebre, sed cujus famam sola hæc SALVATORIS nostri natiuitas auxit & ab oblivione præstitit tutam. Magna sis hac gloria Bethlehemum! Non invideo; miror magis & gaudeo, spe plenus, quia a præsepi non abhorruit SALVATOR, eundem nec cordis nostri tactum iri fastidio, sed & in illo ab omni peccatorum squalore & scoriis vera fide defœcato, sibi lectulum sterni passurum esse. Et hæcenus quidem omnis mea oratio plenis volitavit velis: nunc autem, ne in scopulos illidat, etiam atque etiam opera danda est. Tot enim de Tempore nati SALVATORIS nostri sermonis cymbam expectare video procellas tempestatesque, ut tutum portum, intra quem me receptem, frustra fere circumspiciam, hinc à Scilla metuens mihi, inde à Charybdi. Nunc demum intelligo, quam impar humeris meis onus subierim, & rem viribus meis longe majorem aggressus sim. Dum enim vos expectatis, ut, de Parentibus patriaque SALVATORIS nostri diu multumque præfatus, de tempore certi quid afferam: mihi sese insuperabiles difficultatum offerunt Caucaasi. Ut enim Friderico Spanheimio, Johanni Cloppenburgo, Gerardo Johanni Vosio, & infinitæ multitudinis aliis Chronologiæ instauratoribus, annus salvatoris nostri tanta laborare videtur incertitudine, ut, nec Historicis nec Astronomicis characteribus eidem consuli posset existiment: sic ex adverso non deest, qui, spreto profano testimonio, e solis sacrarum literarum tabulis, non annum solum polliceatur, verum & mensam atque diem, aliis interim foede inter se de hac Epochâ confligentibus, Marte non æquo, sed ancipiti, ut difficilis profecto sit electio, utros sequi præstet. Quæ res cum
etiam

etiam decumanæ & consummatæ eruditionis Viros fatiga-
 rit, meum utique non erit, tantas componere lites. Alio-
 rum igitur potius sequar iudicium, quam ut meo vos impli-
 cem præiudicio. Fretus ergo tum sacrarum literarum au-
 thoritate, tum Scaligeri aliorumq; de re Chronologica præ-
 clare virorum meritorum calculo, natum dico SALVATO-
 REM nostrum $\Theta\epsilon\sigma\upsilon\lambda\omicron\gamma\omega\omega\upsilon\upsilon$ die 25. Decembr. Anni P. I. 4711. qui
 erat mundi 3947. Hic dies, tot seculorum & Patriarcharum
 finiens desideria, non albo, sed aureo, notandus venit calcu-
 lo, dignissimus, quem laxatis piæ mentis habenis æterno ce-
 lebremus tripudio, nec cedris aut æri incidamus, sed ani-
 mo ac cordi inaremus. Eo enim in gratiam rediimus cum
 DEO & novum pepigimus fœdus: eo ex ergastulo & pistri-
 no, ex servitute inquam infernalium lemurum, in liberta-
 tem adscripti sumus. Protoplastarum lascivientium pecca-
 tum interiori cultu, imagine scilicet DEI, dono illo omni
 pretio chariore, nos exuerat: at SALVATORIS nostri gratia
 recuperavimus; licet ea plene nobis frui nondum detur, sed
 melior illius pars nos in altero seculo mameat. Protoplasta-
 rum vitio superis sedibus, suavissimo beatorum angelorum
 contubernio, vivificante DEI conspectu omnique gaudio
 carendum, imo in diabolorum antro flebili ululatu omne
 ævum exigendum, inque horrendis tenebris contabescen-
 dum fuisset: Salvatoris autem nostri beneficio beatioris
 vitæ evasimus hæredes. A terrente igitur peccatorum a-
 trocitate, accusante legis divinæ sævera sanctitate, allatran-
 te diabolo & mactante occidenteque morte nullum nobis
 Christo nato potest esse periculum: sed, elusa omni eorum
 nocendi vi, terreste hoc nosocomium cum cœlesti
 paradiso mutantem angelisq; permixti æter-
 nis fruemur gaudiis.



X

A. B. 8338

